



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Oratio utilis, 40

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)



9. Et tu Domine, qui jubes petere, fac accipere; consulis quærere, da & invenire; doces pulsare, aperi pulsanti: & confirma me infirmum, restaura me perditum, suscita me mortuum; & omnes sensus meos, cogitatus & actus dirigere & gubernare digneris in beneplacito tuo; ut de cætero tibi serviam, tibi vivam, tibi que me tradam. Scio, Domine mi, quia ex hoc quod me fecisti, debeo tibi meipsum: & quia me redemisti, & pro me homo factus es, deberem tibi plus quam me; si haberem quanto tu major es, pro quo dedisti te ipsum. Ecce nec plus habeo, nec quod habeo dare tibi possum sine te, sed accipe me tu, & trahere me ad te; ut tuus sim imitatione & dilectione, sicut tuus sum conditione & creatione. Qui vivis & regnas in sæcula, Amen.

## CAPV T XL.

*Oratio utilis.*

I. **D**omine Deus omnipotens, qui es trinus & unus, qui es semper in omnibus; & eras ante omnia, & eris semper in omnibus Deus benedictus in sæcula: tibi commendo hodie & omni tempore animam meam, corpus meum, visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum: omnes cogitationes meas, affectiones, locutiones, actiones: omnia exteriora & interiora, sensum & intellectum, memoriam meam, fidem & credulitatem meam, & perseverantiam meam, in manus potentia tua: ut custodias ea diebus & noctibus, horis atque mo-



mentis. Exaudi me Trinitas sancta, & conserva me ab omni malo, ab omni scandalo, & ab omni mortali peccato, ab omnibus infidiis & infestationibus dæmonum, & inimicorum visibilium & invisibilium; per orationes Patriarcharum, per merita Prophetarum, per suffragia Apostolorum, per constantiam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virginum, & per intercessionem omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi.

2. Expelle à me jactantiam mentis, & auge compunctionem cordis; minue superbiam meam, & perfice in me humilitatem veram; suscita in me fletum, mollifica cor meum durum & lapideum; libera me Domine & animam meam ab omnibus infidiis inimici, & conserva me in tua voluntate. Doce me Domine voluntatem tuam facere, quia Deus meus es tu. Da mihi Domine sensum perfectum & intellectum, ut suspicere valeam profundam benignitatem tuam. Illud da mihi petere, quod te audire delectet, & mihi expediat. Da mihi lachrymas ex toto affectu, quæ peccatorum meorum possint dissolvere vincula.

3. Audi Domine meus & Deus meus. Audi lumen oculorum meorum. Audi quæ peto; & da ut quod peto, exaudias. Si despicias, pereo; si respicis, vivo. Si justitiam meam requiris, mortuus fœteo: si cum misericordia respexeris, fœtentem resuscitas de sepulchro. Quod odis in me, longe fac à me, & castitatis ac continentia spiritum inferre in



re in me, quodcunque petiero in ipsa petitione, te non offendam. Tolle à me quod nocet, & præbe quod iuvat. Præsta mihi, Domine, medicinam, unde mea possint curari vulnera. Da mihi Domine timorem tui, cordis compunctionem, mentis humilitatem, & conscientiam puram. Præsta mihi, Domine, ut fraternam semper tenere valeam charitatem: & mala mea non obliviscar, aliena non requiram.

4. Parce animæ meæ, parce malis meis, parce peccatis meis, parce criminibus meis. Visita me infirmum, cura me ægrum, sana me languentem, & suscita me mortuum. Da mihi Domine cor, quod te timeat; mentem, quæ te diligat; sensum, qui te intelligat; aures, quæ te audiant; oculos, qui te videant. Miserere mei Deus, miserere mei, & respice me de sede sancta Majestatis tuæ, & tenebras cordis mei radio splendoris tui illumina. Da mihi Domine discretionem discernendi inter bonum & malum: & concede, ut sensum habeam pervigilem. Peto à te Domine remissionem omnium peccatorum meorum à quo & per quem mihi fiat propitiatio in tempore necessitatis & angustia meæ.

5. Sancta & immaculata Virgo Dei genitrix Maria, & mater Domini nostri Iesu Christi, intervenire pro me digneris apud illum, cujus meruisti effici templum. Sancte Michael, sancte Gabriel, sancte Raphael, sancti chori Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum atque Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confesso-



fefforum, Sacerdotum, Levitarum, Monachorum, Virginum, omniumque iustorum, per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præsumo; ut pro me culpabili, ipsi Deo supplicare dignemini; quatenus de faucibus diaboli & de morte perpetua merear liberari. Largiri mihi digneris Domine perpetuam vitam, secundum clementiam ac benignissimam misericordiam tuam.

6. Da Domine Iesu Christe sacerdotibus concordiam, regibus & principibus iuste iudicantibus tranquillitatem & pacem. Oro Domine pro universa sancta Ecclesia Catholica, pro viris & scæminis, pro religiosis & sæcularibus, pro omnibus rectoribus Christianorum, cunctisque in te credentibus, qui pro amore tui sancto laborant, ut perseverantiam boni operis obtineant. Præsta, Domine Rex æterne, Virginibus castitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis sanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam, viduis & orphanis sustentationem, pauperibus protectionem, peregrinantibus reditum, lugentibus consolationem, defunctis fidelibus requiem sempiternam, navigantibus in portum venire salutis; optimis, ut in bonitate semper consistant; bonis & mediocribus, ut meliores fiant; prave agentibus & delinquentibus, ut mihi misero, ut cito se corrigant. O dulcissime & misericordissime Domine Iesu Christe, fili Dei vivi, redemptor mundi, inter omnes & per omnia me miserum peccatorem confiteor.

7. Sed



7. Sed tu clementissime Pater & summe, qui omnium misereris, non me patiaris à tua misericordia fieri alienum. Et tu Domine Rex regum, qui inducias vivendi præstas, corrigendi mihi devotionem tribue. Excita in me mentem, quæ te requirat, te desideret, & te (qui es ubique totus trinus & unus) semper præ omnibus amet, te timeat, tuamque voluntatem faciat. Præcipue ergo te, Domine sancte Pater, deprecor, qui es benedictus & gloriosus per omnia sæcula, ut omnes qui mei memoriam faciunt in suis orationibus, & qui indignis orationibus meis se commendaverunt, & qui mihi aliquod charitatis officium & pietatis studium impenderunt: seu & illos, qui consanguinitate ac cognationis affectu sunt mihi propinqui, tam & illos, qui nunc consistunt in corpore, quam & illos qui teguntur funere, misericorditer gubernare digneris, ne pereant.

8. Omnibus etiam Christianis vivis adiutorium præstare digneris: & defunctis fidelibus absolutionem, & requiem sempiternam, per omnia sæcula. Nec non & illud magnopere supplico Domine, qui es *a & w*, ut cum extrema dies mea finisque vitæ meæ advenerit, tu mihi sis misericors iudex contra malignum accusatorem diabolum; & sis mihi perpetuus defensor, adversus insidias hostis antiqui; & in societatem Angelorum, omniumque Sanctorum in sancto paradiso tuo me perseverare facias. Qui es benedictus in sæcula sæculorum,